



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 3. De Præfecto insularum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

cho, quem Germani *Generalem Campi*, nos dicimus *Mareschal de Camp*. Habent autem Beglierbegi vexilla sua sub quibus cogunt Saniacos suos; & posterius instituti habent breues admodum ditiones suas, vt eas diligentia & fortitudine sua extendere queant, quod si fecerint ad maiores dignitates cum multis laudibus promouentur.

NVM. 2. *De Saniaco.*

SANIACVS, vulgò *Sangiâc*, voce dissyllaba, vt vult Leunclavius, aliter *Sanzac*, nomen habet à vexillo militari Turcico, quod Græci Flambarum, vel Flambulum appellant. Est autem globus æreus deauratus in summo hastili defixus, circumplexis, & dependentibus vndique caudis equinis. Super hunc globum sæpe lunæ cornua imponuntur. Præfectis autem prouinciarum, seu Prætoribus eiusmodi vexilla præferuntur cum magno strepitu tympanorum in expeditionibus, ideoque dicti Sangiacbegi, à Græcis Flambutes: *hac ex Leunclauio.*

NVM. 3. *De Præfecto Insularum.*

PRÆFECTVS Insularum dicitur *Beglierbeg Denizi*, aliter *le Capitan Bassa*, magistratus à magno Solymano inuectus est, cum antea hoc munere fungeretur Saniacus Callipolitanus *le Sangiâc de Gallipoli*. Ille autem Ægæo mari, & Ionio præest, vno nomine Ottomanis, *les Mers Blanches*: respondet huic Magistratui qui apud Græcos dicebatur *πρωτοβέτης τῆς δωδεκανήσου*, cuius meminit Cedrenus. Præest autem hic Prætor Lemno, Eubœæ, Naxo, Paro, Melo, Zacyntho, Leucadi, Cephalonîæ, Lesbo, Chio, Samo, & Rhodo, Insulis 12. ad quas minores reuocantur; Cyprus & Creta, quia magnarum regionum instar, suos Prætores habebant. Nunc autem huic Præfecto parent non tantum Insulæ, sed & vrbes aliquot maritimæ, ad res nauticas peropportunæ, scilicet Callipolis, *Gallipoli*, Nicomedia, *Comidie* Nauplia, *Napli de Romanie*, Caualla Macedonia, *Naupactus* *Lepante*, & Alexandria Ægypti.

CAP.